

villarum Echardi pertinentibus, rursus revertitur ad eundem rivulum. Inde deorsum rivuli usque Frankenstein, inde a cumulis ad cumulos usque ad cumulum in Bukendorf, ab illo per antiquam Boemie semitam a cumulo ad cumulum usque in cumulum Gronowa, inde rursus usque ad saxum grandem iuxta Striguz, abhinc deorsum Striguz usque ad proximum montem, ubi est cumulus versus Mildam fluvium, abinde sursum secus Mildam 5 usque in torrentem Betscowam ecclesie termini terminantur. Insuper ordinavimus, quod Petrus de Nozin, quicquid trans Betscowam, quod ad faciendas piscinas aptum esset, de episcopatu Misnensi habuit, cum parte vallis, que trans fluvium est Mildam, episcopo resignavit, et episcopus contulit monasterio. Incipit autem predicta vallis ab antiquo vado Milde fluvii iuxta malum silvestrem tendens versus aquilonem de cumulo ad cumulum 10 supremum, et inde regirat versus occidentem, usque dum Milda tangit pedem montis. Preterea sciendum, cum ab imperio cuiuslibet metalli proventum in nostra marchia beneficii iure suscepimus, quia in terminis monasterii venę argentarię repertę sunt, cum bonis nostris ex eis absolvimus villas has Dütendorf, Christianisdorf, Bertoldisdorf et partem nemoris, que in dominicale redigi ceperat, que in centum decem et octo lehn computantur. 15 Sane universis denunciavimus, quod eidem loco et possessionibus eius tali modo nos et successores nostros advocatos fore decernimus, ut absque ulla utilitate advocatię seu iusticia, pro solius videlicet eterne vite remuneratione defensores existamus, sicut etiam talis ordinis exigit religio. Convenimus etiam cum abbate Widleuo, ne ipse vel quisquam successorum suorum presumat alicui laico iure beneficii possessiones ecclesie concedere et 20 hoc privilegio interserendum. Igitur prefate possessiones permaneant confirmate Celle sancte Marie perpetue virginis et dei genitricis sibi que inibi famulantibus cum terris cultis et incultis viis et inviis agris pratis nemoribus venationibus aquis molendinis piscationibus et cum omnibus utilitatibus vel appenditiis, que de iure provenire possunt nunc et in posterum. Acta sunt hec in placido Chulmice anno ab incarnatione domini millesimo 25 centesimo octogesimo quinto, indictione tertia, quarto nonas augusti, regnante Friderico imperatore, Widleuo abbate negocium presens nobiscum promovente. Ut autem rata hec et inconvulsa permaneant, eisdem possessionibus ex placiti iudicio pacem firmam pronuntiavimus et testes ydoneos, qui presentes erant, subscribi fecimus, quorum hec sunt nomina.

Albertus marchio filius marchionis^a). Magister Rvdolfvs capellanus. Conradus castellanus 30 de Dewin. Heinricus castellanus de Liznich. Heinricus castellanus de Dony. Prinzlaus Misnensis ecclesie advocatus. Sifridus de Moglin. Swidegerus de Imnez et frater eius Bruno. Sifridus de Milbuz. Hermannus de Hagen. Bertoldus. Conradus. Heinricus. Burchardus. Kiteliz. Tammo de Strele et frater eius Vlicus. Tammo de Lizowa. Heinricus de Warin. Tammo de Dewin. Conradus de Dewin et Thietmarus frater eius. 35 Fridericus de Marus. Reinhardus de Scachowa. Oswaldus de Hagen. Germarus de Liznich et fratres eius Iohannes et Laudo. Ramuoldus et Rvdolfus de Mvchowa. Martinus de Bvkewen et frater suus Pribzlaus. Albertus de Libz et frater suus Bürzlaus.

510. a) m. f. m. Die Buchstaben der drei Worte sind auseinandergezogen und treten dadurch hervor.